



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XXII. Evangelicorum religionem, Catholica repudiata, amplectendam esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

Vide Bern.
ser. 3. de Na-
tali Christi.
Syr. 21.

tam dira perpeffum esse ad expianda peccata no-
stra, ut nos gravitatem peccati inde disceremus, &
ab eo deinceps majori studio abstineremus.

III. *Locus ab Exemplis* eorum qui mori ma-
luerunt, quàm peccatum aliquod committere, de
quibus consule *Speculum bonorum Clericorum*.

EPILOGUS erit *vehemens cohortatio ad Audito-
res* ut, peccatum velut aspectum colubri & pra-
sentissimam tum corporis tum animæ pestem, pe-
petuis gehennæ ignibus examinandum, devitent.

**XXII. EVANGELICORVM RELI-
gionem, Catholica repudiata, ample-
tendum esse.**

P*Resentium temporum perturbatio praebebit. Exor-
dium*: Si vel temporum testes historias, vel se-
niorum mentem exquiramus, eam nostri seculi
pravitatem intelligemus, ut vix alicui superiorum
par esse possit. Causa autem tantorum malorum
Religionum videtur esse diversitas.

*PROPOSITIO. Quare tibi constitutum esse di-
ces*, certissimam prodere rationem, tot tantasque
arumnas penitus avertendi, si nimirum aliis reli-
gionibus Christianus populus novotium mittat u-
nique, quam clarissimo nomine Evangelicam di-
cunt, adhærescant.

CONFIRM. I. Argumentum, Illa fides tene-
da, quæ privatorum contentiones Principumque
bella dirimit, cum bella maximo agmine comi-
tentur hominum cædes, urbium everfiones, pro-
vinciarum devastationes, &c. At Evangelicorum
fides bella contentionesque dirimit. *Hanc assum-
ptionem probabis PRIMÒ, à causa efficiente*: vel sola,
vel potissima calamitatum procreatrix est religio-
num diversitas: quam cum optimè unica Evan-
gelicorum religio tollat, etiam eius fœdus, bella
& contentiones tollentur. *SECUNDÒ, Ab exem-
plo*

pro Anglia, Scotia, Hollandia aliarumq; regionum, quæ huius fidei beneficio altissima fruuntur pace. Proponenda hic breviter pacis commoda, monendiq; Auditores, ut ad eandem simili cum dictis nationibus ratione contendant.

II. Illi Religioni est adhærescendum, quæ ab animi severitate & tyrannide sejunctissima est: quia non fit veri simile Deum, qui tot benevolentia signa hominibus derulit, eam probare fidem, quæ homines, charissimos suos clientes, affligat, & excruciet. At Evangelicorum Religio sejunctissima est ab austeritate: docent id eius dogmata, ut, non necesse est corpus crebris jejuniis macerare, carni sibi usum certis temporibus subtrahere, templorum pavimentis adhærere, &c. *Amplificabis à contrariis: quàm difficilia sint fidei Catholicæ mandata, nullamque subesse causam, cur talibus Deus amantissimus noster Pater, delectetur.*

III. Eam detestari decet Religionem, quæ rationi humanæ contraria est: quid namque absurdius, quàm hominem, iudicio intelligentiaq; dotatum, ejusmodi rebus assensum præbere, quæ illis repugnant? *Illustra simili, ab eorum infania, qui rerum arduarum scientiam profitentur, at nullam earum probè cognoscunt. At Romana, seu Catholica Religio rationi repugnat: docet namq; sub exigua panis specie integram Christi humanitatem ac divinitatem præsentem esse, Deum corporum nostrorum afflictionibus delectari, Christum ad cœlestem patriam suis nobis meritis aditum reserâsse, & tamen nostra etiam necessaria esse merita. Quid his à vero alienius? quid contradictioni vicinius?*

In PERORATIONE seridè hortandi sunt Auditores, ut eam amplectantur Dei cultum, qui patriam in pristinum restituere potest florem, qui facilem

ad sempiternam felicitatem monstrat viam, & rationi maximè affinis est.

XXIII. DEFENSIO RELIGIONIS
Catholicae.

IN EXORDIO declarabis quàm temerè ii suas Iraciones instituunt, qui cum in rebus arduis & sempiternam felicitatem spectantibus longissimè à veritate recesserint, alios etiam in eandem errorum voraginem deducere annuntiant: illorum in numero adversarium tuum esse dices, quin imò tanto stultiorem, quantò fides, quam impia sua machinatione Auditorum animis eripere conabatur, reliquas splendore virtutes antecellit.

IN PROPOSITIONE, Te rationibus efficacibus planum facturum polliceberis, vanissimam eius suasionem fuisse, nec quicquam majori conjunctum esse dementiae, quam Romanam Apostolicamq; fidem improba Novatorum perfidia commutare.

AD I. ARGUMENTUM respondebis, Quòd eam sectandam statuis Religionem, quæ bella tollit, id laudo: quòd verò talem non Catholicam, sed Lutheranam, aliamve Sectariorum esse censes, id verò est, quod reprehendo.

PRIMÒ, Quia bella prosiliunt ex privatorum in Principes seditionibus: ejusmodi verò seditionibus classicum canit nova religio, dum magistratibus obediendum negat.

SECONDÒ ab exemplo. Quia universa Europa summa fruebatur pace antequam manifestissima hæresion monstra ab inferis in hanc lucem prodirent, & verustissimam Catholicorum fidem infestarent, Agricola, negotiatores, opifices, tutò suis insistebant functionibus, cultus divinus ubique locorum vigeat, florebat Gallia, Germania, Polonia,

nia,